



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput LV. Idem a Astoricensi Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

<sup>3.</sup> d. *Timorem abjecit.*] Pisana civitas felix olim fuit, non modò florente Romano Imperio, verum & post eus ruinam; siquidem subegit insula Sardinia: quare Romani Pontifices ejus insula jurisdictionem Pisani concederunt. Pisani etiam Carthaginem, arque Baleares insulas in servitutem reduxerunt, Panormumque à Saracenis occupatam recuperarunt, profugosque Romanos Pontifices hospitio exceperunt. Felicior rerum fortuna hanc civitatem provexit, donec cum Friderico II. Imperatore contra ecclesiasticos inito for-

dere, captiisque ad Lomellum duobus Cardinalibus, ac quampluribus Praefulibus, quia Gregorio IX. mandante ad Concilium indicatum proficebantur, divini Numinis non feram provocavit vindictam; paulò enim post eodem in loco à Genuenibus navali prælio Pisani superatum 49. triremibus duodecim milia selectorum militum amiserunt, præteritarum victoriarum amissi decore; tandemque sub iugo Florentinorum missa in eum statum redacta est, ut penè deserta fuerit, ut refert Vghel. tom. 3, Italia sacra, fol. 393.

## CAPUT LV.

Gregorius <sup>a</sup> nonus.

Cum voluntate, ac proposito maleficia distinguantur, excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel alias ad salutem animæ pertinent, in loquutione participat, licet etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat. Prædicatores quoque, qui penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores in prædicationibus, & confessionibus quasi gerunt causam (vel curam) eorum, ad quos res ipsæ spectare noscuntur, eleemosynas licet possunt ab illis recipere, præsertim si alias non valeant in illo loco sustentationem habere. Si qui verò ratione officii, quod in Ecclesia obtinent, aut etiam alii clerci seniores zelo devotionis pueros, vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos turbantes divinum officium, & hi qui obtentu prælationis, vel magisterii subditos, & scholares <sup>b</sup> correctionis causâ leviter fortè percussent, excommunicationis sententiam non incurront. Quod & de hisdicendum est, qui aliquos de c. familia sua, vel propinquos inferiorum graduum simili modo ut cohibeantur à suis insolentis, & scientia, bonisque moribus informentur, duxerint, corrigendos,

## NOTÆ.

- I. <sup>a</sup> *Gregorius IX.*] Qui præsentem edidit constitutionem motu proprio, à nemine consulto, pro explicatione censuræ, quæ incurritur ob injectionem manuum in clericos ex canone *si quis suadet 17. quæst. 4.* de qua egi in cap. I. & legg. hoc titulo; & etiam excommunicationis minoris, quæ incurritur ob communicationem cum excommunicato, de qua egi in c. significavit, hoc tit. 2. b. *Corrections.*] Modicæ tamen, ut probavi in cap. I. hoc tit.

<sup>c</sup> *Familiasua.*] Sed an pater possit filium <sup>la</sup> eris initiatum impunè corrigit, atque castigare absque eo, quod incidat in excommunicationem canonis, dubitatur. Et id illi licere docuerunt *Sylvester in summa verbo Excommunicatio 6. casu 8.* Bonacina de censur. disput. 2. quæst. 3. punct. 6. sct. 4. Navarrus, Filiiculus, & alij congefti à Gibalino de censur. in synop. fol. 464. Sed rectius negarunt Molina tract. 2. *de iustitia, disput. 228.* & tract. 3. disput. 56. Layman lib. I. *summa, tract. 5. cap. 5. num. 9.* Castropalao disput. 3. punct. 23. §. 3. Gibal. ubi proxime.

## CAPUT LV.

Idem <sup>a</sup> Astoricensi Episcopo.

Si concubinæ publicæ clericorum ecclesiasticæ censuræ distinctione notentur, eosdem concubinarios non est dubium sententiâ majoris excommunicationis involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimen criminosis.

## NOTÆ.

- <sup>a</sup> *Astoricensi.*] De Ecclesia Astoricensi egi

in cap. 17. de re judicat. & textum hunc exposui supra in cap. significavit.

## CAPUT LVI.

<sup>a</sup> Idem.

Duobus collata potestas, ut à minori excommunicatione, si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroque ligato vinculo excommunicationis, hujusmodi non exspirat.

D.D.Gonzal. in Decretal. Tom. V.

FFF 2

NOTÆ.